



Præf. num. 29.

1671. 45

28

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
DE

ACTIS PUBLICIS
SIVE
JUDICIALIBUS.

Quam

Magnifico Facultatis indultu

PRÆSIDE

DN. JOHANNES STRAUCHIO,

JCto, Antecessore, Sereniss. Ducum Saxoniae, nec non Cel-
lissimi Principis, Dn. FERDINANDI ALBERTI, Ducis Brunsvic. & Lünæ-
burgensis, &c. Consiliario, Facultatis Juridicæ Seniore, Curiae Provincialis &
Scabinatus Assessore gravissimo, ac p. t. DECANO splen-
didissimo,

Dn. Patrono atque Promotore suo singulari-
ter devenerando atque suspiciendo

PRO LICENTIA

Et summis in utroque Jure consequendis honoribus

Privilegiisque Doctoralibus,

Publicæ eruditorum disquisitioni submittendo,


defensum ibit

EPHRAIM WAGNER, SULA FRANCUS,

Designatus Præfectus Rörnhildensis

Ad diem 12. Aprilis, MDC LXXI.

JENÆ, TYPIS JOHANNIS NIS



P 486



DISPUTATA

ACTUS PUBLICIS

CHIO

in hac

DE





I. N. S. T. A

ANsa de Actis publicis præsentem inauguralem Disputationem conscribendi, quæ mihi fuerit, haud multis, Benevole Lector, ex me quæras, nec facile quendam vitæ meæ hæctenus gestæ gnarum admiratorum puto; Quemadmodum enim miles de bello, armisque; Negotiator de mercibus quotidie ipsi obvenientibus verba facere consuevit, Ita & me aliquot ex annis praxi deditum non inconcinnè de Actis publicis, utpote re hæctenus semper mihi in oculis manibusque versante, nec non à nemine, quantum mihi constat, in hæc formâ unquam tractatâ, nihilominus maximè desideratâ, publicè disputaturum, eòq; ut & aliis necessariis speciminibus profectuum talentum exhibiturum, sum opinatus. Ad quem laborem bonò cum DEO me accingo, illum, quâ fieri potest, brevitæ pro ingenii modulo subsequentiis thesibus inclusurus.

Th. I.

Acta nativò laxoque significatu dicuntur, quæ aguntur, & quodlibet factum designant, sive re sive verbis quid agatur, sive fiat corpore sive animo & voluntate, sive committendo sive omittendo; Quo sensu contradistingvuntur simulatis *in tot. Tit. C. plus val. quod ag.* Sic Tacito 34. *de morib. Germ. in f.* Acta Deorum dicuntur, de quibus sanctius & reverentius Druso visum credere quàm scire. Huc pertinet quæstio Martæ: Acta facta tempore Tyranni an valeant? *part. 1. ff. noviss. c. 17. p. 7.* & facta per procuratorem revocatum num valeant? *ibid. c. 18.* Ita Acta Principis, Syllæ, Cæsaris, quæ Princeps, Sylla, Cæsar egerunt, quæ ipsa à potiori, quatenus scilicet isti considerantur, ut personæ publicæ, non tam de eò, quod ut privati egerunt, quàm de his, quorum auctores actoresque civitati potestate sibi debitâ aut sumtâ, fuerunt, exaudiuntur, unde porrigit etiam hoc loquendi genus apud Rom. usitatum ad id, quod civitas egit, illustr. Boecler. *in Diss. de eo quod Civit. egit*, ut non minùs Acta Civitatis dicat, quàm Principis, Syllæ, Cæsaris. Huc quadrat usitata Rom. phrasis: In acta Principis Jurare, quod idem est a c, juramento polliceri, se omne id, quod Princeps egerit, ratum firmumque habiturum, nec quicquam eorum mutaturum, aboliturum. Vid. Tacit. 1. *Annal. 72. 2. & 4. 42. 5.* ut & 13. 11. 1. Quod, qui non faceret, pro perduelli habitus, *idem. 16. Annal. 22. 6.* Qui mos eosdem cum servitute Pop. Rom. natales habuit. Aliò strictiori sensu opponuntur Acta, gestis, contractis, ut & facta à gestis differre Gajus fatetur in l. 58. *ff. de V. S.* Vide *D d. ad l. 19. n. 4. 7. 9. & seqq. & n. 43. de V. S.*

Th. II.

Transfertur inde ea notio *ὑπερκειμένης* à contento ad continens, ut actorum vocabulo volumina atque libri nominen-

minentur, in quibus ea, quæ sunt acta, signantur. vid. *Bæcler. d. Disp. de eo qu. civ. c. 9. §. 1. in f.* Quo sensu idem ferè sunt quod Commentarii, aut Commentaria de quibus *Trajan. ad Plin. 10. Ep. 96.* Dedisse me jus 3. liberorum *Svetonio Tranquillo* eâ conditione, quâ assvevi, referri in commentarios meos jussi, quod negligi à suis Gallis queritur *Budæus l. abesse ff. ex quibus causis majores.*

Th. III.

Ista acta sunt vel publica vel privata. Neque enim audiendus est *Valla*, qui inter acta & gesta hoc discriminis assignat, quod gesta sint in administratione Magistratûs, & in rebus majoribus & ad Rempubl. vel ad plurimos spectantibus, Acta verò rerum privatarum; Quod doctissimè refutat *Alciat. ad l. 19. ff. de V. S. §. 1. 58. ff. eod.* Publica (de quibus in præsentiarum acturi sumus) diversimodè dicta: modò ratione causæ efficientis, quæ scilicet conficerentur apud publicas personas, ut sunt ipsi *Judices, Actuarii, Notarii*; Modò ratione proprietatis locive, in quo custodirentur, quæ scilicet ad fiscum, vel ad commentaria Principis, vel ad *grammatophylacium* pertinerent; modò ratione objecti sive materiæ, libri scil. atque tabulæ, quæ publicæ civitatis acta continerent, vel in quibus scriberentur res gestæ *Principis, aut Populi, aut etiam Leges, Vid. Cic. 1. §. 2. Philipp.* Hinc Acta Patrum ap. *Tacit. 5. ann. 4. 1.* Ubi *Junius Rusticus* dicitur componendis Patrum actis delectus à *Cæsare*. It. Acta diurna *Tac. 13. Ann. 31. 1.* scil. urbis, quæ ut aliàs præcipuè ex eò sic dicuntur, quod per singulos dies fiant & scribantur, ita præterea *Tacito l. 2.* in eò opponuntur *Annalibus*, quod in hos res illustres, memoriæque dignæ, in illa *vulgaria, e.g. de structura Amphitheatrorum, eorundemque fundamentis atque trabibus &c.* mandentur, quod reperiuntur ita ait ex dignitate *Pop. Romani.* Alibi diurna *Pop.*

Rom. vocat 16. *Annal.* 22. 7. alibi diurnam actorum scripturam 3. *A.* 3. 2. Germanicâ, quanquam potius hybridâ, voce diceret, *Römische Chronick*. Inde etiam *acta publica* Tacito 12. *Annal.* 24. 4. ibi: publicis actis scriptum; quasi diceret: *Es sey ins gemeine oder öffentliche Rathspröcolll oder Handels-Buch/ oder Raths-Buch getragen worden* nempe ut Lipsius habet ad *Senec.* 2. *de benef.* 10. 27. Acta confici solebant rerum memorabilium vel in populo, vel Senatu, atque ea per certos huic curiæ destinatos homines describi, tum publicari. Ex talibus actis Vopiscus se historiam suam sumsisse scribit. Itaque proverbii in speciem dictum: In acta mittere *Senec.* 1. 2. Beneficium in acta non mitto, h. e. non publico, non posteritati trado. Conf. *eund.* Lips. *ad.* 4. *Ann. Tac.* Et hæc adeò publica *ἄκτα καὶ ἰστορικὰ* sæpè Actorum voce denotantur *Gæd.* *ad.* 1. 19. ff. *de V. S.* n. 8.

Th. IV.

Nobis cum istis actis publicis, quæ ratione objecti sic dicuntur, nullum in præsens negotium. Erit autem de iis, quæ ratione personarum, per quas, & coram quibus conficiuntur, nec non ratione loci asservationis talia dicuntur. Et quò melius discernerentur à reliquis, Judicialia nuncupata, quâ voce, præter ea, quæ de loco conficiendi aut asservandi, nec non de personis ipsis conficientibus subinnuit, materiam nostris quoque peculiarem indigitamus, scilicet negotia quæ in judiciis tractantur.

Th. V.

Sunt itaque nobis Acta publica judicialia sive Judicii, quæ & Regesta, vulgariter registra, quasi Regestaria *l. cum Servus ff. de cond. & demonstr. l. Prætor §. 1. ff. de eisdem. l. chartæ ff. de Bon. poss. secundum Tabul. l. emtor. §. Lucius ff. de Pact.* quod scil. res gestas seu actas contineant,

nec

nec non barbarâ voce aditata dicuntur, omnes scripturæ
Curia sive iudicii, factæ coram Iudice, vel eo mandante, &
scriptæ, s. registratæ manu officialis scil. Tabellionis ad hoc
deputati, partibus præsentibus, ordinem negotiorum, mo-
dum & figuram continent *Klock. Relat. 3. n. 7.* Vel sunt li-
bri Iudicarii, quibus omnia ac singula, quæ in iudiciò tam
contentiosò quàm voluntariò, vel ab ipsò Iudice, vel parti-
bus, sive ore tenus sive in scriptis peraguntur, atque propo-
nuntur, Actuarius fideliter ordineque consignat atq; con-
gerit. Vel, ut accuratius habet *Ruland de commiss. p. 2. l. 5.*
c. 6. Instrumenta publica, quæ inter partes coram aliquò
Magistratu gesta continent. Dicuntur instrumenta, quia
literis consignata esse oportet, adeoque Scriptura est de es-
sentia actorum, quatenus nempe ut hîc, volumina atque li-
bros denotant, in quos referuntur ea, quæ in iudiciis agun-
tur. Dicuntur publica, quod autoritate publicâ, h. e. co-
ram Iudice, qui est persona publica, aut conscribuntur aut
in formam publicam rediguntur. *Rul. cit. loc.* Hinc nihil
refert etiamsi pars actorum à privatis scripta & exhibita;
Iudex enim ad acta colligit, bringet es ad acta; Unde vulgò
dicitur; Ad acta legen/ es wird pars actorum. Pro quâ ope-
rà quantumvis levissimâ haud oblivisci solent honorarii sui
avari Iudices. Hac ipsâ voce, distinguuntur ab actis pri-
vatorum, quæ pars quæque sibi ad privatam suam notitiam
colligere consuevit. Porrò dictum inter partes, ut distin-
gueremus à libris atque literis, ad istos pertinent statu-
ta, Libri censuales, *Raths-Bücher / Straff-Bücher /*
Forst-Saal-Steuer-Lehn-Gerichts-Handels-Erb-Recess-
Bücher. Ad hos verò privilegia, *Steck / Bezweckbriefe /*
de quibus omnibus ac singulis quò minus ageremus in hoc
specimine & tempus & institutum cohibuit.

Th. VI.

Th. VI.

Circa existentiam actorum quaestio movetur; An nempe praesumantur? Quae quidem differt ab illa; An acta praesumantur iusta? Nam prior quaestio de casu loquitur, quod acta plane non apparent, & de ipsa eorum existentia dubitatur; Posterior vero de casu, quando apparent & existunt quidem acta, sed de debita ipsorum forma non constat, quae ad locum de forma actorum pertinet. Negamus autem hanc nostram quaestionem per *Surd. cons. 249. n. 6. ibiq. alleg. Dd. in tantum*, ut licet producat sententia, nihilominus non praesumantur praecessisse, *Bart. in l. illud ff. de acquir. hered. Klock. Relat. 3. n. 40. nec juvat mentionem factam fuisse actorum in sententia Gail. 1. Obs. 134. n. 15. alleg. Klock. Relat. 125. n. 26. quando dicit: Quod in Actis non apparet, omissum & nunquam intervenisse censetur.*

Th. VII.

Acta Judicialia varie dividuntur, & quidem potissimum ratione Materiae, tum formae quoque, nec non causae efficientis atque accidentium; Ratione Materiae dividuntur (i.) In acta voluntariae, & contentiosae Jurisdictionis; Haec sunt, quae coram Judice competente praevia causae cognitione ordinariae peraguntur; Illa, quae absque ordinariae cognitione coram Judice quovis fiunt. Ubi observandum, illa his interdum misceri, per accidens nimirum, quando probationibus inserviunt atque harum pars fiunt, wann Sie zu bescheinigen/ oder Beweis als documenta gebraucht/ und ad acta gebracht werden. Acta contentiosae Jurisdictionis subdividuntur in Ordinariae Judicii, & Acta causae, & haec iterum in probatoria sive instructoria, & decisoria. Haec divisio decidit litem, quam nonnulli Doctores movent; An scilicet ante litis contestationem acta incipiant? It. An sententia pertineat ad acta? Si enim cum Baldo & Thulde-

no

no *in not. ad Damhouder. prax. civ. cap. 149. lit. a.* Dicis: Ante litis contestationem esse quidem acta posse ordinato-
ria sive præparatoria litis, non verò acta causæ propriè sive
in specie dicta; Item sententiam pertinere utique ad acta,
non quidem ordinatoria Judicii, sed ad acta causæ & qui-
dem non ad probatoria sed decisoria, ad quæ se habet per
modum termini, planè ut unitas ad numerum principii
rationem habeat, res in plano nobis esse posita videtur, ut
prolixiori altercatione non egeat. (2.) Acta dividuntur
ratione Materiæ in 1. Civilia. 2. Criminalia, quò etiam In-
quisitoria, Inquisitionalia Acta. Ratione causæ efficientis
distingui videntur in acta (1.) primæ (2.) secundæ instan-
tiæ, quorum ista scripta à Judice à quo, hæc à Judice ad
quem, nisi malis & hanc divisionem ad materiam referre, ut
secundæ instantiæ acta dicas ea, quæ versantur circa grava-
mina ad judicem superiorem delata; Qua ratione diceres
etiam leuteratoria, sive *Leuterungs Acta*, quæ versantur cir-
ca gravamina coram eodem judice contra ejusdem sen-
tentiam interposita, *Carpz. Proc.* Ratione formæ acta,
tanquam analogum in sua analogata, distingui solent in o-
riginalia sive avthentica, & copialia, quæ & exempla vocan-
tur. Ab accidenti denique proficiscitur divisiuncula acto-
rum in publicata & non publicata.

Th. VIII.

Causa actorum primaria atque principalis est Judex,
qui potissimam ipsis auctoritatem conciliat, adeoque acta
ab Actuario non possunt fieri sine judice, *Bertach. in repert.
jur.* Hic competens sit oportet, atque habilis, si secus,
nulla sunt acta, quæ coram ipso confecta. *C. si à non comp.
judic. per tot. Surd. conf. 204. 4.* Et is, qui adversarium co-
ram Judice incompetente vexat, in expensas primi Judicis

B

con-

condemnatur. *secundum gloss. in cap. ex Tempore vers. careat
extra de rescript Farinac. lib. 1. Con. 49. n. 2. vers. nec non.*
Possunt tamen etiam coram incompetente validè fieri, si
nimirum jurisdictio prorogatur. *Carpz. Proc. Tit. 2. art. 1.
num. 17. & 18.* nec pars fori declinatoriam atque incom-
petentiæ exceptionem ante litis contestationem opponat.
Tunc enim in illum quasi consentit, & ex hoc quasi contra-
ctu litigantes obligantur instantiæ, ita ut in ea usque ad fi-
nem persistere cogantur. *Autb. qui semel. C. quomodo &
quando Jud.* Valent etiam acta per judicem inhabilem,
si communiter habitus pro habili. *l. Barbarius. 3. ff. de off.
Prat.* Causa instrumentalis & secundaria, quâ ad ea confi-
cienda Judex utitur, est Actuarius. *Sueton in Jul. cap. 55. conf.
Senec. Ep. 33.* sive ab actis, aut à curâ actorum *ἰμμενιστολογε-
φ* vocatur, quem sequior ætas Protocollistam, alii Com-
mentariensem, Tabellionem, seu Tabularium, Excepto-
rem, Secretarium item, aut Scribam judicii, *Gericht-
Schreiber/* appellant. A notis quoque Notarii dicti, quod
compendio quorundam punctorum, signorum & minuta-
rum figurarum verba, aut vim syllabarum, orationesq; totas
quantumvis præcipitatas, quàm velocissimè comprehende-
rent. *Conf. Pet. Fabr. ad l. 92. de R. I. & l. ult. eod. in f. Gl. in l. in-
ter eos ff. ex quib; causis majores.* Horum necessitas tanta est,
ut dubitatū fuerit, num Judex ipse, præsertim si sit Notarius,
acta conscribere possit? De quâ quæstione videatur *Dn. Zieg.
ad Inst. Lancellotti tit. de in jus voc. p. 725. Berl. P. 1. concl. 8. n.
48. Marta. Dig. Noviss. c. 12. p. 6. Bertach. in repert. jur. p. 52 b.*
ubi limitat negativam in casu, quò proceditur de plano,
ibi enim judicem quem posse esse simul & Notarium, adeo-
que ipsum acta literis consignare. *Tusch. concl. pract. 88.*
Acta judicialia per quem scribi debeant? ubi allegat *Ant. de
But.*

But. *consil.* 32. n. 2. & rationem subjicit, quia acta scribi debent de mandato Judicis, & quia nemo potest sibi mandare, nec duplici officio fungi (intellige si duo sint incompatibilia ut hic) nempe Judicis simul atque testis, ibique similiter excipit causas leves, viles, atque breviores, quæ non excedunt quinque scuta. Dn. Philipp. *in obs.* 2. *ad Decis. nov. Sax. Elect.* 45. n. 13. hanc quantitatem arbitrio Judicis relinquit. Vide de hac necessitate clarum textum *in c. quoniam* 11. *extr. de probat.* Cui sententiæ favet etiam hodierna praxis. *Vid. ordin. Cam. p. 1. r. 59. & Caroli V. ordin. Crim. t. 1. in foro præsertim Saxonico.* *Vid. Proceß-und Gerichts-Ordn. t. 2. §. Also versehen wir uns/ & noviss. Decis. Sax. Elect.* 38. Nach dem aber. Dn. D. Philipp. *in noviss. suis observationibus, ad dict. dec. 38. obs. 2. pr.* Videatur tamen D. Philipp. ubi quoad civilia negotia limitatur hæc sententia in actibus voluntariæ Jurisdictionis. Exceptis insinuationibus donationum, & ultimarum voluntatum, quæ & ipsæ coram actuario fieri, atque ab eo registrari debent.

Th. IX.

Cæterum de Actuariis duplex occurrit consideratio, altera de requisitis, altera de officio eorum. Illa latè persequitur Dn. Philipp. *d. Observ. 2. ad Decis. Sax. 39.* Unde ista strictim excerptisse suffecerit, quod nempe (1.) debeant Actuarii Judiciis, quibus adhibentur, peculiari juramentò obstricti esse n. 5. & quidem in præsentia subditorum, iis conspicientibus & audientibus, n. 8. quia nimirum summa fides requiritur in his personis, & earum scripta formam publicam auctoritatemque habent n. 15. (2.) Legales h. e. idonei, qui jurium rationisque procedendi satis gnari, n. 16. & processum justè ac legaliter dirigere didicerint n. 18.

B 2

seqq.

seqq. An (3) requiratur ut sint Notarii publici, vel ab ipso Imperatore vel comite Pal. renunciati, latè itidem disputat n. 25. & in civilibus pro negativâ concludit secutus d. *Decisiones Sax. Elect.* 38. §. Jedoch ist solches allein von Bürgerlichen. Dissentit *Berlich. p. 1. concl. 8.* Quod officium ejus attinet, generaliter in eo consistit, ut universa negotia, quæ in Judiciis occurrunt, competenti ordine fideliter atque diligenter conscribat atq; congerat, designando & tempora, & personas earumque sermones. *c. 11. vers. statuimus X. de probat.* Conf. *Dn. Carpz. crimin.* ubi de registratura responsorum ad articulos inquisitionales, quod nempe, quantum fieri potest, ipsa inquisiti verba retineri debeant, quod alibi etiam traditur de testium depositione. Debet autem ipsa acta scribere in tantum, ut absens vel aliâ justâ causâ impeditus suum amanuensem, vel alium suò arbitriò substituere haud quaquam possit, sed hoc cum consensu & approbatione Judicis faciat necesse sit. *Berlich. p. 1. c. 8. n. 32. 33. 34.* Plura de officio actuariorum vide apud *Tbulden. in Damboud. prax. civ. c. 149. Rosbach. proc. p. m. 87. & seq. & omninò Carpz. Proc. t. 2. art. ult.* Item *Chur-Sürstl. Oberhoffgerichts Ordn. Tit. von den Notarien des Gerichts & alibi passim.* De quæstione, num inchoata per unum, perfici possint per alium. Vide *Bertachin. repert. p. 53. a. Col. 1. inf.*

Th. X.

Sunt autem acta legaliter conficienda, sine talibus enim Judici non creditur *Westnb. in Tit. C. de Jurejur. n. 61.* Et si secus, ipsam vitiant sententiam *Don. lib. 27. c. 6.* ibique *Hillig. not. lit. C.* Nec regulariter convalidari possunt. *Tusch. Concl. 94. lit. A.* Sed de novo apud eum, ad quem devoluta
causa

causa est, repeti debent *Wurmser. observ. 33. n. 3.* Suam itaque requirunt formam, quæ generaliter in scripturâ consistit; Estque hæc adeò necessaria, ut sine eâ, quemadmodum suprâ attigimus, acta, prout quidem volumina, libros, aut instrumenta denotant, ne quidem concipi possint. Alia enim est quæstio: An acta h. e. ea, quæ in Judiciis aguntur, nempe materia sive objectum dictorum voluminum, scribi sive literis consignari præcisè sit necessarium, vel num acta scripta in unaquâq; causâ requirantur? Quod asserimus cum *Lancellotto in Inst. Jur. Can. t. de in jus vocand. §. ibi:* qui universa acta Judicii conscribant. *ibiq; Dn. Ziegler. p. 725. Add. Surd. l. 3. Conf. 326. n. 25. Dd. in cap. quoniam X. de Probat.* Acta enim vehiculum dicuntur ad sententiam *Bald. in c. cum super in f.* adeò ut pronunciatio facta per judicem, non habitis actis non valeat, etiamsi sententia esset bona & rectè lata. *Ojas. Decis. 1. n. 39.* quem sequuntur & alii Autores. *ut Jas. in l. si is apud quem C. de in jus voc. Bald. l. 2. C. de edend. & in l. 1. ff. de Feriis.* & nisi fieri curet Judex, ut acta scribantur, partibus tenetur ad expensas, quas scil. erogare solent ad repetendam causam, nec non infamia notatur talis Judex. *Græv. ad Gail. 1. Obs. 234. Concl. 84. n. 5. Conf. Gilbauf. arb. Judic. c. 6. p. 1. §. 12. p. 239. Myns. Cent. 1. Obs. 11.* Ab ea regula excipiuntur à nonnullis causæ, in quibus sententia fieri potest sine scriptura. *Bart. & Dd. in Auth. Nisi breviores C. de sentent.* nempe viles atque levissimæ. Sed ab his divortium meritò facit *Dn. Ziegler l. c. nec non Socin. de Reg. Jur. Reg. 9. Bart. in l. ne in arbitr. C. de arbitr.* quibus non obstat, quod acta non requirere dicuntur scripturam, nisi ubi quoque libellus & sententia scripta requiratur; Nam ex his non sequitur, propterea ne qui-

dem postea qualemcunque actoris petitionem, rei que re-
sponsum, nec non sententiam ipsam quanquam ore te-
nus latam, in scripturam ab Actuario referendam esse. Hoc
ipso autem, quò scriptura requiritur, patet, testibus ad acta
haudquaquam opus esse. *Dambouder. prax. resp. Civ. c. 149. n. 10. & n. ibiq. Thulden. l. 7.* Quid enim attinet Testibus
probari, quod scripturam demonstrari potest? Modus autem
scribendi in his consistit, ut scribantur acta (1.) Sincerè atq;
verè, quæ excludunt errorem atque falsitatem; Hæc enim
nulla reddunt acta, adeò ut quemadmodum apud *Hillig. ad Don. l. 27. c. 6. lit. e. in not.* In actis, si error sit, sententia
se referens ad illa, vitietur, quod haud dubiè de falsis quoq;
asserendum. Et ad evitandam omnem suspicionem falsi-
tatis rectè requiritur *in c. 11. X. de probat.* ut Actuarius om-
nia in præsentia Judicis vel assessorum registrare debeat.
Philipp. Decis. 38. Obs. 2. n. 21. (2) Integrè quoque scribi
debent, nec manca esse, aut mutila, alioqui fidem similiter
haud faciunt, & Judex tenetur ad interesse & arbitrariè pu-
niri *Gail. 1. Obs. 134. n. 12.* Quando verò integra dicantur
vid. latè apud *Tusch. pr. Concl. 87.* Cæterum ad integrita-
tem actorum vel agnoscendam vel conservandam facit in-
stitutum daß sie richtig geheftet und foliiret werden sollen.
De quo vid. *Neue Churf. Sächs. Erled. in Justitz Sachen*
S. 16. vers. würde man aber (3.) cum loco, die & consule.
Græv. ad Gail. 1. O. 314. concl. 84. n. 10. Hoc est; acta con-
ficiens scriba, à quibus, coràm quo, quò tempore, & quò
in locò scripta sint, explicare debet, ut habet *Bertach. in re-
pert. Jur. p. 54. a. in med.* Quoad temporis circumstantiam
disputari vulgò solet, num noctu quoque fieri acta possint?
It. partibus absentibus? Deinde adjicitur, tempore feriato
fieri

fieri regulariter haud posse. Sed hæc quæstiones ad nostrum institutum non pertinent, cum tractemus non de objecto sive materia actorum h. e. de validitate eorum, quæ in judiciis geruntur, de quibus intelligendæ sunt istæ quæstiones à Maranta doctè tractatæ, sed de voluminibus, in quibus acta consignantur. Quanquam conveniat eò, unumquodque tempore scribi, quò gestum, & prohibitum utique censeamus perversum quorundam Judicum atque actuariorum morem, quò acta vel nulla, vel confusa, tum demum ex cerebro suo conscribunt, ordinant, corrigunt, quando advocantur à superiore ad examinandam causam. Istud de tempore, quò conficienda sunt Acta, adhuc sciendum, statutum esse de Jure Saxonico septiduum Advocatis pariter ac Actuariis, intra quod illi positiones suas sub poenâ absolvere, hi verò easdem sollicitare, mandataque, & quæ ad legitimationem pertinent, ab iis exigere coguntur. Vid. *Churf. S. Appell. Ordn. Beylage in corp. Sax.* Item *Capzov. Proc.* Cæterum utut pro actis non existentibus, quemadmodum supra diximus, non præsumatur, quando tamen existunt atque conscripta apparent, justa præsumuntur, solennia, & valida. *Vid. Nov. Decis. Sax. 3. Et ibi Philipp. Obs. 1. Et 2.*

Th XI.

Materia Actorum circa quam, sive objectum, sunt actus & negotia judiciaria. *Donell. lib. 26. c. 8. ibique Hillig. lit. D.* quæ in genere Processus vocatur *In der Churf. Appell. Ordn. T. von den Bothen ibi: und andere Prozesse.* Nempe Libellus, citationes, prorogationes, recusationes, legitimationes, cautiones, positiones, exceptiones, recognitiones, petitiones, interrogationes, responsiones, confessiones,

nes, Testium depositiones, eorundem & instrumentorum productiones, attestatorum publicationes & disputationes, inrotationes, sententiæ tam interlocutoriæ, quam definitivæ, earum publicationes, Leutationes & Appellationes, harum insinuationes, interpositiones, introductiones, Prosecutiones, Justificationes, Ordo, designatio temporum atque personarum, Transactiones, compromissa, Protestationes, Renunciationes, Juramentorum de- & Relationes, ad ea oblationes, eorundem præstationes, atque remissiones, supplicationes, collationes, & quæ sunt alia. Inter quæ hoc discriminis est, quod alia ab ipso iudice per Actuarium conficiantur atque scribantur, ut sunt: Citationes, registraturæ, sententiæ; alia à partibus jam scripta iudici offeruntur, ut sunt Libellus, & similia producta, uti vocant, aut documenta, ex quibus illa, quæ pro solâ iudicis informatione exhibentur, ab eo quidem recipi solent, sed ad acta, ita ut inseparabilis illorum pars fiant, adeoque parti adversæ communicari debeant, referenda non sunt; exempli gratiâ: Sententiæ informatoriæ, allegationes & id genus alia Vid. Tusch. *Concl.* 87. n. 8. ubi distinguit inter producta & exhibita, add. Mart. *Dig. noviss. p. 1. pag. 6. c. 5.* Quando autem ita exhibitum quid censeatur, ut de actis iudicii efficiatur. Vid. Don. *Lib. 23. c. 6. ibique Hillig. Lit. D. Tusch. concl. 86. & 89. n. 6.*

Th. XII.

Locus, ubi confici atque conservari acta debent, iudicium est; Ita tamen ut quod ad confectionem attinet, iudicium intelligatur, ubicunque aliquid auctoritate iudicis legitime fieri potest; Cum igitur certis ex causis, etiam extra consuetum iudicis locum, cum auctoritate tamen iudicis
actus

actus judiciales exerceri queant, v. g. quando honesta persona in domo propria coram Actuario, aliisque fide dignis personis hunc in finem per Judicem admissis jurare solet, non est dubitandum quin ibidem id quod agitur, literis quoque consignari possit vel etiam debeat. Conf. Carpz. *Proc. t. 14. art. 2. n. 89.* Imò acta quoque unius judicii possunt fieri in diversis locis, ab eodem tamen iudice, non habente certum tribunal majorum suorum. Vid. Berlich. *p. 53. a. pr.* Confecta verò apud Judicem, vel penes scribam, aut Actuarium, in loco publico ad hoc destinato, qui apud eos, qui hoc Juris habent, Archivæ, Item Cancellariæ Cansleyen. It. Scrinium vid. Mar. Gribald. *de partib. ad. c. 2. l. 1.* Item Grammatophylacium &c. apud minorum verò gentium Judices Reposituræ Judiciales *Gericht's-Repositoryn* vocantur, reponenda atque conservanda. Vid. Mascard. *v. 1. de Probat. Concl. 32.* Chilian König *Proc. c. 91. n. 4. vers.* Denn die Acta. Köppen *Dec. quest. 46. n. 14.* Hinc reprobandus malus quorundam Judicum mos, qui patiuntur aut committunt, ut acta inter privatos parietes distrahantur, aut qui certum, dignumque reponendis iis locum haud destinant; Actorum Cam. Imp. custodia, ad Reverendissimum Archiepiscopum Moguntinum spectat, vid. Mart. Dig. *nov. p. 1. pag. 5. c. 4.* Blum. *in. 1. Cam.* Et hæc quidem quæ de actorum conservatione diximus, tamdiu obtinent, donec vel edenda vel transmittenda. Edi verò h. e. copia eorum fieri debet cuilibet, cujus interest; Interesse autem reverà eorum duntaxat dicitur, qui commune jus in iis habent, nempe partes invicem litigantes. Vid. *Dd. ad l. 2. C. de edend.* Et latè Carpzov. Obtinetur ista editio si recusetur, per compulsiories à superiore impetrandas. *Gail. 1. obs. 134. Et ibi*

C

Gre-

Gravan. Transmitti solent, Acta vel in Collegium Juridicum, vel ad superiorem. Illam transmissionem præcedit Collatio, Inrotulatio, Sigillatio, ad quos actus, quemadmodum & ad aperiendum, & resignandum consilium, partes, quò omnis Judicem suspicionis arguendi præscindatur ansa citari debent. Ludolph. Schrader. *Tr. de Feud. part. 10. Sect. 14. n. 31. 32. 33.* Carpzov. *process.* Partes quorsum mittere velint acta, si conveniunt, illis judex deferre tenetur, sin minus punctum hunc decidendi facultatem habet. Carpzov. *Proc. Tit. 16. art. 1. n. 35. 36. 37. & 38.* Ad superiorem Judicem transmittuntur, quando causa vel avocatur, vel ad eundem per appellationem devolvitur. Hic latè agere possemus de Actis primæ instantiæ nisi temporis penuria obstaret. Conf. N. Sächs. *Erledigung in Justiz-Sachen* §. 93. *ibi wie es mit Abfolgung der Acten prima instantia zu halten?* Ubi habetur quod debeant mitti (1.) Originalia (2.) integra (3.) absque preciò (4.) obsignata (5.) aut ipsi appellanti extradantur, aut ejus sumtibus per tabellionem juratum insinuentur. Hic notandum ex Martæ *dig. nov. p. 1. c. 21.* Acta præsumi integraliter transportata. Hanc transmissionem actorum primæ instantiæ ad superiorem sequitur eorundem productio, quæ justò tempore fieri debet, sufficit, modò adsint in termino Justificationis Carpz. *Proc. T. 18. art. 5. n. 77.* Finità appellationis instantiâ, appellans acta Judicis à quò vel ipse vel per Tabellionem juratum sub poenâ arbitrariâ insinuare obstrictus est. N. *Erledigung in Justiz-Sachen. §. 53. inf.*

Th. XIII.

Actorum ita ritè confectorum atque repositorum effectus hi sunt, quod (1.) plenè probent, iisque credendum sit
fine

sine Testibus Tuld. *ad Damboud. prax. civ. c. 349. lit. l.*
Gail. *1. Obs. 234. n. 12.* Carpz. *Proc. Tit. 14. art. 3. n. 33. seqq.*
Wesemb. *ad Cod. T. de Jurejur. n. 61.* etiamsi iudex sit mor-
tuus vel remotus, qui de causa cognovit & publicavit Coler.
de Proc. execut. part. 4. c. 1. n. 151. Ita ut super actis se fun-
dans non præsumatur calumniari, Græven. *ad Obs. Gail. l. 1.*
O. 134. Ubi limitat nisi ab alterâ parte impugnentur, cui li-
mitationi applaudit Wesemb. *ad Cod. Tit. de Judic. n. 143.*
& hâc ratione concludit, acta (puta quando impugnantur
ab adversario ratione formæ) parere saltem præsumtionem
Juris, non verò de Jure, sed admittere probationem in con-
trarium. Ampliatur hæc vis probandi à Doctoribus ita ut a-
cta facta in unò judiciò, probare dicantur etiam in alterò,
præsuppositis tamen his quatuor requisitis, ut nempe facta
sint (1.) inter easdem non diversas personas 2) sint proba-
toria, nec saltem ad litis ordinationem spectantia, (3.) pu-
blicata (4) denuo producta. Si enim inter alios facta, alteri
non præjudicant *Tot. Tit. ad Res inter aliso act. & Tit. quibus
res rud. non pot. Surd. Conf. 358.* Nisi plures habeantur loco
unius *l. heredes §. idem scribit & §. si cum eo ff. Famil. herisc.*
Quamvis benè etiam probent contra tertium, ad hoc nimi-
rum, ita rem gestam esse, uti in actis dicitur, alleg. *Surd. Conf.
170. n. 23.* Similiter si saltem ad litis ordinationem spectant,
nullam probationis vim habent, Dn. Schröd. *in Resolut. LL.
Cod. àque ipsò allegatus Gilken.* quemadmodum & non pu-
blicata, quæ sunt instar breviaturæ carentis solennitatibus,
Gloss. in l. fideicommissa §. 1. & ibi Bart. de Legat. 3. Tan-
demque non reproducta, sterilia nulliusque efficaciam sunt
Carpz. Lib. 3. Tit. 12. Respons. 119. n. 1. Sic etiam acta coram
successore anterioris Judicis debent reproduci, si ipsius sen-
tentia

sententia valida esse debeat Bart. in l. 11. vers. 3. C. de edend.
& ibi Bald. Ad hunc effectum pertinet etiam, quod acta
semper loqui, atque perpetua dicantur. Vid. Gail. 2. Obs. 80.
n. 7. Bertach. in repert. Jur. p. 56. a. pr. Unde & semper no-
cent inter easdem personas Alciat. Tom. 3. in l. 2. ff. de Eden-
don. 59. ei scil. cui nocet & sententia Bart. & Alex. in l. 11. ff.
jud. solv. & fidem faciunt contra eos, quorum interest
Mart. cap. 9. Dig. nov. p. 1. Hinc acta contra reum nocent
& fidejussori, Alciat. alleg. loc. Bertach. repert. l. 1. p. 52. b.
col. 2. f. & acta contra heredem presentem in causâ quere-
læ, nocent legatariis Id. ibid. p. 54. b. in f. Et ita tertio inter-
dum præjudicant Alciat. loco cit. n. 69. Eodem pertinet
quod acta vice originalis fungi dicantur secundum com-
munem Doctorum Conclusionem in Tit. 2. de Testibus. Et
instrumentum registratum ad acta, proberur per illud regi-
strum vel acta, etiam si originale sit deperditum, ex iisque
aliud desumi possit publicum exemplum, licet aliàs exem-
plo exempli non credatur. Bart. in verb. registrum. (2.)
Effectus est, quod constringat potestatem Judicis, ut juxta
acta, non verò extra ea, secundum solam suam privatam
conscientiam jus dicendum ipsi sit. Vid. Tulden. ad Dam-
boud. c. 149. lit. b. & Dd. passim. imò ipsi sententiæ mode-
retur, adeò, ut declarationem ex actis accipiat Donell. lib. 27.
c. 1. ibique Hillig. in not. Lit. M. & sine actis lata sententiæ,
nulla sit ipsò Jure. Græven. ad Gail. 1. Obs. 134. (3.) Præ-
bent atque pariunt incognitum aliàs Logicis, sed in hac ma-
teriâ Juris validum argumentum, quò ab autoritate Acto-
rum negativè concludi potest, ita scil. ut quod in actis non
reperitur, censeatur omissum Gail. 1. Obs. 134. n. 15. (4.) In
Judiciis inferioribus secundum observantiam nonnullorum

rum

rurſum locorum repræſentant vicem Apoſtolorum, quorum
locò dantur Goëdd *ad l. 106. de V. S. n. 5.* (ſ.) Faciunt ad
probationem Jurisdictionis præſertim contentioſæ, Ru-
land. *de Commiſſar. p. 2. l. 5. c. 6. in f.*

Th. XIV.

Cum autem ſiniſtri nonnunquam aliquid actis acci-
dat, de contrariis hîc agere, non inconueniens fuerit. Per-
tinet igitur huc Interitus Actorum, ſive naturalis, puta ſi in-
cendiò conſumantur, aut corrumpantur, deperdantur, ſur-
ripiantur; ſive civilis, quando ex capite nullitatis, aut falſi,
aut quod inſtantia peremta ſit, corruunt. Quod ſi incen-
diò aut aliò caſu deperdita, duplici remediò partibus con-
ſulitur; Vel enim teſtibus probanda, quæ geſta ſunt. Vid.
*Gail. 1. Obſ. 134. n. 20. ſeq. Frideric. Proceſ. Sax. p. 2. c. 10. n. 7. 13. ſeqq. Weſemb. ad Cod. tit. de judic. n. 145. Et alii. im-
primis etiam Gilhauſ. arb. judic. c. 6. p. 1. ſ. 12. n. 4.* Vel de
integrò procedendum; Ad quod poſterius e. g. fugiendum,
quando acta à Judice, à quò manca edita, aut ineptè conſi-
gnata, tum enim Judex ſuperior totum priorem proceſſum
caſſat, & partes de integrò audit *Græv. ad Gail. l. 1. Concl. 84. n. 8.*
Quod ſi à tertio detineantur, legitimis aduerſus eum
remediis experiendum, ut edat, nec enim acta publica re-
tineri poſſunt ut privata ab Advocatis, aut Actuariò. Vid.
Carpz. p. 2. Conſt. 25. def. 23. Cæterum de ſurripiente a-
cta, ſciendum eum furti teneri *Wurmſer. 1. Obſ. 25. n. 3.* Fal-
ſificans præter falſi pœnam, cauſâ cadit *Gail. 1. Obſ. 134. in f.*
Pœna autem corrumpentis, dilaniantis, aut lacerantis acta
Judicii, quinquaginta aureorum eſt, quæ parti ultra falſi
pœnam, applicanda veniunt *Marant. Dig. nov. c. 20.* Dixi-
mus ſuprà peremtâ inſtantiâ; Conſtat enim, quod ſi inſtan-

tia perimatur, v. g. quando reus ob ineptitudinem Libelli ab instantia absolvitur, perire etiam acta, quod tamen de solis ordinatoriis Judicii, non etiam de probatoriis causæ intelligendum Vid. Gail. *Obs.* 67. & *ibi Græven. num.* 1. 2. Wurmser. 1. *Observ.* 30. Parthen. *litig.* 2. 13. 6. Tusch. *concl.* 92. & latissimè Scaccia *de Appell.* qv. 15. *inf.* Uterque modus, quò acta interire solent, iterum est vel casualis & non voluntarius de quo hætenus, vel voluntarius atque spontaneus, quando scilicet cassantur, discerpuntur aut cancellantur, atque ita spontè. Ubi ulterius sciendum destructionem aliam esse legalem; atque necessariam, quæ fit à Judice, invitâ etiam alterutrâ, vel utraque parte; Vel conventionalem, quæ contrâ. Ista fit, quando discerpuntur tanquam lectu indigna, in poenam atque ignominiam exhibentis, ut: si sunt injuriosa; quemadmodum nuper accidisse observavimus ex impressâ relatione in causâ Lauenburg contra Lübeck / die Einlösung der Stadt Möllen betreffend. Huc pertinet etiam, quando scripturæ post conclusionem in causâ, aut ineptus libellus, vel supplicationes etiam à concipiente non subsignatæ offerenti redduntur, vel etiam quod Judici Juris liceat ineptum libellum dentibus lacerare. Conventionalis Cassatio sive destructio interdum accidit, quando partes pertæsæ processuum, lites injuriarum transactione componunt, eâ concordia lege, per modum amnestiæ dictâ, ut acta, quæ super eâ re excreverunt, ad sepeliendam collisionis pristinae memoriam, destruantur atque aboleantur.

Posse-

Possimus & nunc de Adfinibus Actorum nostrorum, nempe de Actis Notariorum, & Privatis commodè agere, sed tempus aures vellicans aliò nos citat, quæ propter hîc subsistere cogimur. DEO Ter Optimo Ter Maximo fit Laus, Honor & Gloria in sempiterna secula!

Bartolus Heniochus juris perhibetur: At ejus

Fractus erat penitus temo,
rotæque diu.

Non manus artificis defit, Wagnerus adesto,

Alter Erichtonius, si reparabit, erit.

PRÆSES.

CON-

CONSULTISSIMO
DNO. WAGNERO,
J. U. Ddo.

Præfecto Römhildensi
designato,

*Amico suo à primis Academicæ
vitæ temporibus certissimo:*

Publica jam nobis demonstras Acta:
Cathedra,

Te probat: applaudunt, Musa,
Themista, forum.

Musa Tibi laudem parat; acta Themi-
sta loquetur

Oppressis; Fora dant, (gratulor!)
officium.

*Cum voto omnigenæ prosperitatis
hæc scribeb.*

Johann Georg Simon, D.

Allu-

Allusio ad ἐπιπέδιον Julii Cæsaris:

Veni, Vidi, Vici,

In Bello Pontico ad amicos

scriptum,

cit. Christ. Matth. in Theatr. histor.

p. 424.

UT *venias, videas, vincas*, A DFIN IS
Amande,

Sunt mea vota, piâ quæ tibi mente dedi.

Optatò *venias* spectati ad culmen honoris,

quod vigili tandem sedulitate petis!

Tot *videas* fructus studiorum lætus adeptos,

Guttas cæruleæ quod Sala volvit aquæ!

Cumque sit omnis honos onus intolerabile

multis,

Vincas illud, erit tunc tibi semper honos!

Hisce Dn. Adfini suo unicè dilecto

Et in almâ Salanâ jam commoranti

de novis honoribus gratulatur

ac propitios Viales

precatur

M. Johann Ludovicus Winter/

Eccl. Sulanæ Past. &

Superint.

D

Præ-

PRæclari quondam *soboles* præclara *Parentis*
nunc dudum meriti culmen honoris
adis.

Ausibus hisque bonis exæquas, auspice Jova,
spem, quod conceptam patria cara
fovet.

Quæ spes hæc? ornat te summa *scientia Juris*
atque tuum *Praxis* nomen ad astra vehit;
Spes hinc affulget, fore mox ut prora salutis
puppisque evadas civibus ipse tuis.

(a) *Audentem* DEUS alme juva, fac (b) *crescat* ut
(c) *arbor*

justitiæ ac laudi planta sacrata tuæ!

(a) *Wagner vom Wagen*/ audendo.

(b) *Ephraim* heisset ein Gewächs oder Frucht.

(c) als Bäume der Gerechtigkeit und Pflanzen
des Herrn zum Preis/ *Esai. 61. v. 13.*

Id quod plur. honorando
Dno. Civi atque Affini suo cordicitus
apprecatur

M. Jacobus Mylius,
Scholæ Sulanæ
RECTOR.

Am.

AMplius heic nullo, FAUTOR, sub JUDI-
CE lis est.
PUBLICA demonstrant fortiter ACTA
VIRUM.

Hac pauca in honorem Consultissimi

Dni. Doctōrandi adjicere

debut

Friderich Scriba.

Judicis ACTA probant? sic est; sed JUDI-
CE JUSTO,
ACTA probent fontem PUBLICA;
PRIVA reum.

Hacce paucula adjicere voluit

Johann Heinrich. Salefeldt.
Bodenw. Brunswigius.

Judicis officium est, lites finire molestas:

Aurea pax summum Judicis officium est.

Quam benè VIR INGENS, odium compo-
nere tentas!

Quam benè Te sequitur *Judicis officium!*

Judi-

Judicis officium coelo plaudente, & ovante
Justitiâ ut gestes, corde manumque precor.

Gratulabundus scrib.

Jo. Henricus Nerlich.
Lips.

PRæmia jurè petis, nec non WAGNERE re-
portas,
digna tuis studiis, digna labore Tuo;
Namque Tibi summos Themidis Doctoris ho-
nores
confert, & Lauro cingit Apollo caput.
Hinc, quia certatim docti gratantur honori,
Musa Tibi defert debita vota mea,
Grataturque diu vivas, vigeasque superstes,
Presfis auxilium sis, patriæque salus!

*Nobilissimo Dno. Fautori suo
at atem colendo
applaudit*

Christianus Saccus, Not.
Publ. Cæs.

F I N I S.

Jena, Diss., 1671 51-2


ULB Halle 3
005 360 692



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Pra. 21. num. 29.
1671, 45

28

PRO INAUGURALIS
JURIDICA
DE
PUBLICIS
SIVE
IALIBUS,

Quam
Facultatis indultu
PRAESIDE
NE STRAUCHIO,
fils. Ducum Saxoniae, nec non Cel-
LANDI ALBERTI, Ducis Brunsvic. & Lünæ-
ltatis Juridicæ Seniore, Curiae Provincialis &
avissimo, ac p. t. DECANO splen-
didissimo,

Promotore suo singulari-
do atque suspiciendo
LICENTIA
Jure consequendis honoribus
iisque Doctoralibus,
in disquisitioni submittendo,
defensum ibit

GENER, SULA FRANCUS,
æfectus Rörnhildensis
Aprilis, MDC LXXI.

OPIS JOHANNIS NISL

